



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

18. Sciaocenses coelitus puniuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

18.  
Sciaocentes  
caelitus pa-  
niuntur.

quàm de Christianorum Deo, Deos suos tulisse delirabant, breue illi gaudium luctu damnisque ingentibus mox luerunt. Postero quàm Patres excefferant die, torrentes ex niuibus & pluuiis aqua de Prouincia Huguanensi aduersum decurrunt in amnem, qui suburbium alluebat & proui fluminis opposito aluco refusa, æquatis aut superatis aggeribus domorum subruunt ad duo millia; pontem qui vrbi iungebat suburbium ruptis catenis abripunt; vrbs muro quâ ripæ alteri immanebat perfracta, iniqui Præfecti euertunt palatium, & latissima refectione ex ligneis domibus confusas lignorum congeries alportant, nec strages hic metam posuit, subsecutus est interitus arborum, & recessu aquarum, limoso ex solo teter vapor, morbum induxit pestilentem: quæ tam velox, & euidentis eiectionis nostræ pœna, tantum abest vt idololatrias mouerit suburbanos, tentarunt quin etiam illum Patribus imputare; Mandarinis & ciues tam certò habebant perituum Deum verum vlcisci suburbanorum crimen qui nostrum exilium Præfecto suaserant, vt huic essent auctores nostri reuocandi; & diris omnibus suburbanos, vbicumque occurrerent deuouebant. Liberato aequi siccoque iam solo domum nostram Præfectus sibi asseruit, angustis eius cubicula in aulam complanauit, quam inscripsit grandi Charactere, *alacritatis aulam*, eamque luxuriosis illis comportorum suorum, dedicauit cœnis, & Mandarinorum sibi similibus, & epicureis deliciis. Bonzios serò pœnituit, Patrum viciniam Mandarinis mutasse, vt qui præter contemptum, & purgandæ aulae molestissimum onus, nihil inde sibi lucri collegissent.

19.  
Nanhione  
exiguus fru-  
ctus ob sol-  
tati pietatē.

Sciaocœo profecti ferreira & Diaz aduerso flumine Nanhion perueniunt: emporium est opulentissimum Nanhion, confine ad septentrionem Prouinciæ Cantonensi, & eo præcipuè nomine externis celebratum, quod secundus sit in Sinas aditus quo semel superato Pechinum vsque nihil eos remotere; Etsi verò censetur intra fines Cantonensium, sed eos odit vt barbaros, & Sinarum Tartariam eorum nominat regionem, utpote aduenis infestam ex quibus appulsi regno; ferè vrbs illa constat. Fecit hoc odium, & reuerentia Ricci ab annis viginti etiam tùm vigens, vt Patrum exilium libenter colligeret, tantumque iis exhiberet benevolentia, & honoris, vt obliteraret in sensum calamitatis Sciaocensis. Præfectus in primis visentes se obsequii gratia extra palatium deducens ad confertam qui foris expectabant curiosorem turbam; En, inquit, par hominum, quos solum videre faustitas magna est; quod ab eo profectum viro, diuturnum in ciuibus nostri desiderium magnopere auxit; nostris vicissim ardentè optantibus ea in vrbe retineri, tùm vt opem subinde aliquam Christianis Sciaocentibus commodarent; tùm vt novos in regnum, quâ solum dabatur, operarios inducerent; Duabus igitur ab suo aduentu hebdomadis conducunt domunculam, in ea cubiculum decenter vestiunt, Saluatoris effigiem eleganter ornatam in altari locant; nullo præceco concutitur;